





1782, 22.

577

PROCANCELLARIVS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS
I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINARIVS NEC NON
COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

MAVRITII LVDOVICI HÜBELII

ADVOCATI DRESDENSIS

A. D. V. DECEMBER. MDCCLXXXII

PVBlice CELEBRANDA

INDICIT





QVAESTIO
IVRIS CAMBIALIS

*An ex cambii inualidi indoffamento actio cambialis contra indoffantem
locum habeat?*

ENVCLEATA.

Quemadmodum, qui rerum distantias metiuntur, geometrae saepenumero labuntur et hallucinantur, nisi eadem res iusta e statione intueantur atque collustrent, ita etiam, qui in quaestionibus iuris, iisque intricatis, soluendis versantur, Icti non possunt non longe recto a tramite deflectere et in tenebris errare, nisi et factum, de quo quaeritur, curiosius inuelligent, idemque penitus cognitum et perspectum habeant, et ius huic rei aptum ac proprium iustis ex fontibus deducant, deductumque quaestioni in medium propositae ea, qua
A 2
par

IV

par est, dexteritate applicent; quod quam verum sit, exemplo in medium iam proferendo patebit.

Species haec est. Caia (femina haud mercatrix) datis literis cambialibus Titio centum proximis nundinis solvere promittit. Titius has litteras, apposito indossamento, cedit Sempronio. Veniente solutionis die, Caiaque haud solvente, litterarum cambialium possessor, iure utens regressus, pecuniam petit a Titio, tanquam suo auctore, a quo cambium ad ipsum pervenerat, interpositaque protestatione, ut cambialiter aduersus eum procedatur, petit. Iam quaeritur, an teneat haec actio, Titiusque processu cambiali ad soluendum adigi queat? Fuit sane, qui id singulari in diss. ea de re proposita negaret. Mihi vero contrarium fedet. Vtra sententia potior legibusque congruens sit, id in praesenti ostendere conabor.

Ac initio quidem monere iuuabit, scriptorem illum id, quod in controuersia est, haud satis perspexisse, aut saltem verbis haud recte expressisse. Titulus eius diss. est: *An cambii inuulidi indossatio cambium reddat validum?* Enimvero hoc plane non quaeritur, sed quaestio potius haec est: *An ex cambii inuulidi indossamento (non contra debitorem principalem, sed) contra indossantem cambialiter procedi possit?* Hic fundus est controuersiae; in hoc, ut quilibet paullo intelligentior sua sponte facile perspicit, cardo rei vertitur. Ut autem, quanam sententia album mereatur calculum, paullo clarius innotescat, equidem in enodanda hac quaestione ita versabor, ut primo meam confirmem sententiam, deinde argumentis a parte aduersa prolatis nihil roboris inesse ostendam.

Nemo, spero, a me expectabit, ut, quid cambium sit, et quis cambialiter se obligare possit, edisseram. Haec omnia enim
in

in vulgus sunt nota, et a nemine iuris cambialis haud plane ex-
 perte ignorantur. Quandoquidem autem de indossamento haud
 omnes recte sentire videntur, non abs re erit, pauca de eo prae-
 monuisse. Nemini, credo, placebit definitio M. D. GROLL-
 MANNI in *diff. de cessione litterar. cambial. Cop. I. §. 7.* ^{a)} prola-
 ta, indossamentum esse *epistolae cambialis in alium modo legitimo
 factam translationem*, propterea quod ita indossamentum haud sa-
 tis a nuda cessione distinguitur, quod tamen fieri oportere opti-
 me docuit LEYSERVS *Spec. 202. med. 3.* Rectius igitur di-
 xeris, indossamentum esse *formulam s. conceptionem verborum, ipsi
 litteris cambialibus adscriptam, qua quis ius certam pecuniae summam
 ex litteris cambialibus debitam a debitore cambiali exigendi in alterum
 transfert.* Qui hoc facit, *indossans*, is autem, in quem ius illud
 transfertur, a nonnullis *indossatus*, ^{b)} ab aliis rectius *indossata-
 rius* vocatur. Quodsi idem fit eo animo, vt alter pecuniam in
 commodum indossantis tantum exigat exactamque huic restituat,
mandatum, sin ea mente, vt indossatarius exactam pecuniam sibi
 retineat, *cessionem* subesse norunt omnes, qui vel leuiter rem
 collybificam attigere. Nobis quidem hic non nisi de postrema
 indossamenti specie sermone esse, tam facile intellectu est, vt
 monere vix mereatur, propterea quod, si indossatarius manda-
 tarii tantum munere fungitur, de regressu aduersus indossantem
 ne quaestio quidem incidere potest.

^{a)} Praeter GROLLMANNVM et HOECKNERVM de cessione litterar. cam-
 bial. s. indossamento scripserunt D. H. VAN NOOTEN *L. B. 1768.* et
 Conf. E. G. C. KLUGEL. *Vir. 1770.*

^{b)} Ita I. G. SIEGEL in *diff. de indossato reconueniendo.* (Lips. 1724.) Re-
 ctius autem I. C. FRANCKIUS *Inst. iur. camb. l. 2. §. 11.* inter *indos-
 sarum* et *indossatarium* distinguit. Ceterum obiter hic notamus, hanc
 SIEGELII *diff.* in Ill. W. G. VANGERVII *Envo. d. Wechs. Rechts nach
 d. Grundf. d. Preuß. Staaten §. 177.* minus recte ita citari, acsi inscrip-
 ta esset de *indossatore conueniendo.*

VI

Iam porro ex ipsa indoffamenti definitione perspicuum est, eum, qui ius fortem cambialem exigendi in aliquem transfert, esse *auctorem*, a quo ius illud ad alterum peruenit, eoque nomine ad euictionem indoffatario praestandam obligari. Cessa videlicet s. vendita actione venditor aut cedens veram vtique actionem talemque, cui nulla obstat exceptio, praestare tenetur, omnesque auctores, qui suo nomine quocumque titulo oneroso rem in alium transferunt, ad praestandam euictionem obstricti sunt. *Si nomen*, verba sunt l. 4. D. de H. vel A. V. si distractum, Celsus scribit, locupletem esse debitorem, non debere praestare, debitorem autem esse, praestare, nisi aliud conuenit, nec aliter HERMOGENIANVS in l. 74. §. 3. D. de euict. Qui nomen, quale fuit, vendidit, duntaxat, vt sit, non, vt exigi etiam aliquid possit, et dolum praestare cogitur. e)

Haud minus certum et extra omnem dubitationis aleam positum est, non modo rem cessam s. venditam ipsam, sed eius etiam qualitatem, seu verbis disertis, seu tacite ipsoque facto promissam, a cedente aut venditore praestandam esse. Si quis, inquit VENULEIUS in l. 38. §. 3. D. de V. O. forte non de proprietate, sed de possessione nuda controuersiam fecerit, de usufructu vel de usu, vel de quo alio iure eius, quod distractum est, palam est, committi stipulationem: habere enim non licet ei, cui aliquid minuitur ex iure, quod habuit. Ita e. g. qui alicui feudum tanquam femininum vendidit aut hereditarium, non modo feudum ipsum, sed qualitatem etiam feudi feminini aut hereditarii praestare tenetur, ceu iam alibi (*Elem. iur. feud. §. 451.*) monuimus.

Quodsi

e) Indoffantem non modo veritatem, sed bonitatem etiam nominis praestare debere, notissimum est. LEYSER l. c. et LYDOVICI *Emi. z. W. P. p. §3.*

Quodsi iam ea, quae adhuc diximus, ad quaestionem propositam applicemus, quis quaeso dubitabit, quin indossans nomen per indossamentum alteri cessum cum omnibus eius attributis, quae ex indossamenti natura fluunt, indossatario praestare, et debitore principali haud solvente ipse solvere teneatur, iisdemque mediis, quae causae cambialis qualitas suppeditat, ad soluendum debitum adigi queat? Est sane indossans auctor, a quo ius in indossatarium transit, et tanquam auctori ipsi haud licet *defugere auctoritatem* d), i. e. defensionem causae denegare. Ut verbo dicam, ad praestandam euictionem tenetur is indossatario, eaque hic alter iusta praestari ratione nequit, quam si indossans locum debitoris principalis subeat, et contra illum eodem procedatur modo, ac contra hunc, si solvere obstrictus esset, procederetur. Neque vero hoc iniquum aut inhumanum videri cuiquam debet. Qui enim cambium in alterum transfert, ille scit, aut certe scire debet, debitore haud solvente se ipsum ad soluendum debitum obstrictum esse, suoque indossamento hoc facere promittit. Magnopere sane falluntur, qui indossamentum legitimacionis ad causam tantum vice fungi existimant. Melius sapit I. C. FRANCKIVS *Inst. iur. camb. I. 2. §. 26. Quoties partes alienationem intendunt, indossamentum, quatenus inter indossantem et indossatarium res est, noui cambii locum obtinet, indossansque ex suo indossamento tanquam debitor principalis etiam ad bonitatem litterarum cambialium praestandam tenetur, eadem ratione, ac*
si

d) Quod Galli dicunt *repudier le gariment s. manquer de gariment*. Vid. FRANC. CALLETTI *Comment. in Tit. C. de euicf. in MEERM. Thes. T. II. p. 373.* De formula *defugere auctoritatem* dixit etiam SCHVLTING. in *Thes. iur. cour. p. 459.* De praestanda euictione pulcher locus est apud CIC. de *Off. III. 16.* Nec hinc plane aliena est vetus paroemia germanica: *Hand muß Hand wahren; rō wahren* enim hic nihil aliud significare, ac euictionem praestare, ostendit GEO. BEYER, in *Opusc. p. 388.*

si ipse cambium scripisset. Quatenus autem indossamentum versatur inter indossantem et ceteros, qui ex litteris cambialibus tenentur, pro cessione habetur. Similiter HOECKNER in *diff. de litter. camb. indossament. Cap. III. §. II.* Si verba ordinat. nostrae et fori usum respicias, indossantem teneri principaliter existimo, non tantum accessorie, unde nec beneficium ordinis s. excussionis ei competit, sed sufficit, debitorem non soluisse, ac de eo ex protesto s. instrumento sollempni constare. Quare siue debitor solvere non potuerit, siue solvere non voluerit, perinde indossans conueniri potest, ut archior longe eius, quam fideiussoris simplicis, obligatio mihi videatur, itemque HEINECCIUS in *Elem. iur. camb. cap. VI. §. 7.* Quamuis actionem cambialem habeat indossatarius, non tamen agit ex cambio, sed ex indossamento. Hinc si vel maxime in cambio occurrat hypothecae constitutio vel renunciatio fori, id tamen indossanti non nocet, et nuper Cel. c. a. RICCIVS *Exerc. iur. camb. VI. §. 58.*

Ne quis autem nos ad firmandam sententiam nostram non nisi quorundam auctoritate doctorum niti existimet, en legum, quae nobis hac in re praeruerunt, concentum, omnium omnino interpretum opinionibus fortiorem melioremque. Nachdem (verba sunt *Ord. Camb. Lips. §. 19.*) ein Wechselbrief wegen nicht erfolgter Zahlung gebührend protestirt worden, so hat der Inhaber und Creditor zusehrst seinen Regreß an den letzten Indossirer, von welchem der Wechselbrief ihm zukommen, zu nehmen, und wenn er von demselben keine Befriedigung erlanget, alsdenn soll er an den nächstvorhergehenden, wöferne derselbe guten Credits ist, und noch zu zahlen hat, und also ordentlich bis zum Ausgeber zurücke gehen. Nec aliter in *App. Ord. Rec. §. 14.* Nicht weniger soll auch der Indossant, da der Wechselbrief nicht bezahlt würde, den Indossatarium, wenn dieser die Bezahlung zur Verfallzeit gesucht, auch deswegen sogleich gebührend protestiren lassen, und solches ihm mit der Post oder sonst längstens binnen 8. Tagen notificiret, des Capitals, auch derer

derer Zinsen und Unkosten halber noch Wechselrecht zu befriedigen verbunden seyn. Similiter in Ord. Camb. Augustan. d. a. 1778. cap. 8. §. 4. Del credere stehen will sagen, für einen girirten Wechselbrief haften. — Wer nun sich nicht ausdrücklich vorbehält, nicht del credere zu stehen, der haftet stillschweigend für sein Giro. e)

Nulla hic exceptio, nulla distinctio inter cambium validum et inualidum, idque propterea, quod contra indossantem non ex cambio, sed ex indossamento, quod noui instar cambii est, agitur. f) Lege autem haud distinguente nec legum interpretis distinguere oportet. l. 2. §. 5. D. de vi bon. rapt.

Sed instat is, cuius initio mentionem fecimus, scriptor, aitque, indossamentum supponere cambium validum, nec posse indossantem suo indossamento, quod instar legitimationis ad causam sit, plus iuris in indossatarium transferre, quam ipse habuerit; cumque indossanti ex cambio a femina haud mercatrice dato contra hanc actio cambialis haud competat, nec indossatario eiusmodi actionem contra indossantem competere posse. Sed haec omnia frustra dici, confidenter credo, et ex supra dictis iam liquere arbitror. Indossamentum, quoties vera subest cessio, nequaquam nudam legitimationem ad causam esse, iam antea ostensum et cuilibet harum rerum haud plane experti-

e) Plures ordinationes cambiales, in quibus idem sancitum est, laudat Perill. H. W. DE GÜNDERRODE in d. Beantw. d. Frage: Ob der Indossat gegen den Indossanten eines mit Proceß zurückgekommenen Wechsels nach Wechselrecht klagen könne? in eius Beitr. z. Rechtsgelehrsamkeit n. 6. Conf. etiam C. I. BEIL. Consultat. Qualem regressum habeat indossatarius cambialis, si ei debitum cambiale stato die non solvatur? in eiusd. Consultat. n. 5.

f) Quod ni ita esset, qui quaeso contra indossantem ex praescripto ple-
rarumque ordinationum cambialium secundum rigorem iuris cambialis procedi possit? Conf. H. W. DE GÜNDERRODE l. c.

perpicuum est. Deinde nemo dubitat, quin cedi etiam possint obligationes naturales g), qualem certe mutuo a femina contracto subesse negari haud potest. Quid? quod non modo apud nos, sed plerisque etiam aliis locis cambia a feminis haud mercatricibus data vi chirographi, quod cedi aliis iure optimo potest, haud destituuntur. Et quid? nonne interdum cambia etiam plane inualida eo effectu, ut indossans cambialiter teneatur, indossari possunt? En verba *Mand. Sax. wider das Aufborgen Lurger Leute d. a. 1724. §. 3.* Würde auch jemand von einer Person, so unter 25. Jahren ist, Wechselbriefe an sich ausstellen lassen, und solche an einen dritten indossiren, oder selbst an dergleichen Person gegen Revers, daß solche ihm ohnschädlich seyn und zu keiner Zahlung verbinden solten, Wechselbriefe ausstellen, und auf den tertium von derselben indossiren lassen, so soll zwar auf den letzten Fall das Indossament, und auf den erstern der Wechselbrief ungültig verbleiben, dem Indossatario auch nicht zu statten kommen, ob er gleich, daß er von Beschaffenheit des Wechsels nichts gewußt, eydlich erhalten wollte, jedoch der Indossant und resp. Aussteller des Wechsels dem Indossatario die in dem Wechselbriefe enthaltene Summe samt allen Schäden und Unkosten ohne alle vorhergehende Protestation des Wechselbriefs und andere Weiltläufigkeit nach Wechselrecht zu bezahlen — verbunden seyn.

Quem quaeſo latet, iure etiam civili loci adeo sacri et religiosi venditionem eo valere, ut emtori contra venditorem actio ex emto competat. Dilerte IUSTINIANVS in §. 1. de emt. et vend. Loca sacra vel religiosa, item publica, veluti forum, basilicam, frustra quis sciens emit; quae tamen si pro profanis vel priuatis acceptus a venatore emerit, habebit actionem ex emto, quod non habere

g) De obligatione naturali eleganter exposuit ANT. SCYLTING. in *Comment. Academ. Vol. I. n. 1.*

bere ei licent, ut consequatur, quod sua interest, deceptum non esse, ad quem locum conferri meretur FRANC. BROEI *Exposit. Infitut. Iustinian. p. 652. h*).

Et, si pro cambio inualido, modo naturalis saltem adfit obligatio, fideiussor intercedere potest, ut in *Prol. de auallo* ostendi, cur non indossari quoque eiusmodi cambium possit?

Frustra etiam hic ingeritur decantata illa regula: *Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habet*, quam in *l. 54. D. de R. I.* legimus. Vereor sane, ne locum hic inueniat querela IAC. GOTHOFREDI in *praef. Comment. in Tit. Pand. de R. I. praemiss. miscellas* (an miscellas) has regulas non ab iis tantum, qui hisce a studiis longe absunt, verum etiam iis, qui medio foro atque in scholis versantur, plerumque tam improspere allegari, usurpari, ventilari, ut vere dixeris, nullibi perniciosius, quam sub earum auctoritate, errari. Ut enim iam non dicam, hanc regulam proprie ad intestatorum pertinere successiones, ceu iam monuit PETR. FABER in *Comment. ad Tit. D. de R. I. p. 249.* neque adeo generalem esse, et ad species, quo haud pertinet, translatae saepenumero fallere, ut docent exempla a PETR. FABRO *l. c. p. 253.* prolata, eadem vel ideo male hic applicatur, quia non de actione cambiali contra debitorem principalem mouenda, sed de indossante cambialiter conueniendo quaerimus. Si illud in controuersia esset, tunc fortasse recte diceretur: *nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet.* Nunc autem, cum de vi indossamenti, tanquam nouo obligationis fonte, quaeritur, nemo non intelligit, prorsus inepte huc regulam in *all. l. 54.* propositam transferri.

B 2

Nec

h) Eodem pertinet, quod ROMPONIVS ait in *l. 4. D. de contrab. emr. Et liberi hominis, et loci sacri et religiofi, qui haberi non potest, emitio intelligitur, si ad ignorantiam emitur.*

Nec aliculus momenti est, quod dicitur, cum in pari causa sint indoffans et indoffatarius, ille quidem, quod cambium invalidum indoffauerit, hic, quod acceperit, neutri ius cambialiter experiendi competere. Cur enim non accipiam cambium a femina datum et per indoffamentum in me translatum? Potestne debitor exercere mercaturam, eique libertas cambialiter se obligandi competere? Potestne etiam femina haud mercatrix suum liberare nomen, etfi cambialiter haud teneatur? Qui seis, annon turpe existimet, inter morosos referri debitores, eiusque animo obuerfetur illud *SENECAE*: *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Quanto latius patet officiorum, quam iuris regula! quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt.* ⁱ⁾ Quali non etiamnum inter homines sint, apud quos honestas plus valet, quam apud alios seuerissimae leges.

Neque vero ita, vt actio cambialis contra eum, qui cambium inualidum indoffauit, teneat, opus est, vt aut indoffans in dolo fuerit, aut diserte ita conuenerit, vt potius obligatio indoffantis ad indemnitatem indoffatario praestandam, actioque cambialis huic eo nomine competens ex ipso indoffamento, quod noui instar cambii est, oriatur, adeo vt oppido fallatur, qui a vitiositate cambii ad vitiositatem indoffamenti argumentum duxerit, quod iuris notissimi ratio haud permittit.

Nec est, quod quisquam hanc, quam defendimus, sententiam ab vsu fori recedere existimet. Nae enim ipsi nuper vidimus rerum aliquot iudicatarum formulas, e quibus, aliquoties
ita

ⁱ⁾ Quem locum pulchre illustrauit *ANT. SCHULTING*, in *Or. de angusta innocentia hominis ad legem boni*, quae legitur in eius *Comment. Academ.* *Vol. II. n. 7.*

ita indicatum esse apparet, quasque, nisi chartae prohiberet angustia, adscribere haud grauemur. Cum igitur nostris a partibus non modo iuris ratio, sed res etiam stent iudicatae, haud dubito, quin, de his rebus qui iudicare possunt, facile omnes nobis adstipulentur.

Restat, species quasdam, in quibus id, quod haecenus diximus, exceptionem patitur, adiciamus: Cessat scilicet regressus contra indossantem

1) litteris cambialibus per nouationem, delegationem, scripturam mensae (vulgo *scontro*) in indossatarium translatis. LVDOVICI *Einl. z. W. P. X.* 50. et 56. RICCIUS *Exerc. iur. camb. IV. §. 64.* propterea quod, vt notissimum est, interueniente delegatione et expromissione prior debitor liberatur, neque adeo indossans ad indemnitate indossatario praestandam amplius obstrictus est,

2) quando indossamento clausula *ohne Regressnehmung s. ohne Gewährleistung* addita fuit. Etsi enim SIEGEL in *d. Fürsicht. Wechs. Gläub. Cap. IV. §. 2. not. 1.* indossantem tunc pecuniam saltem acceptam indossatario restituere debere existimat, verior tamen mihi contraria videtur sententia, propterea quod pacti de non praestanda euicione ea vis est, vt re euicta nec pretium, nec id, quod interest, restituendum sit, quod quidem haud obscure innuit VLPJANVS in *l. II §. 23. D. de act. emt.* vbi, relata contraria IULIANI sententia, addit: *Sed in superscriptis conuentionibus contra erit dicendum, nisi forte sciens alienum vendit; tunc enim secundum supra a nobis relatum Iuliani sententiam dicendum est, ex emto eum teneri, quia dolo facit.* Conf. H. C. ECKHARDI *herm. iur. Lib. I. §. 289.* ibique cit. ^{k)} Ceterum etsi indossans adiecerit

B 3

verba:

^{k)} Dissentiant, sed frustra, IOS. AVERAN. *Interpr. iur. Lib. IV. cap. 12.* et ANT. SCHULTING. in *Thef. iur. consr. p. 452.* Alios praeterco sciens.

verba: *Er wolle vor die Gefahr nicht gehalten seyn*, nihilominus veritatem nominis praestare tenetur. Vid. *c. g. riccius Exerc. iur. camb. VI. §. 57. n. 3.*

3) si potestas dandi cambium alicui legibus ita interdicta sit, vt eius etiam indossatio prohibita et pro nulla declarata fuerit, quo facto actio nec contra indossantem tenebit. — Plures exceptiones mihi quidem in praesenti haud succurrunt.

SED INDICENDA NVNC SVNT SOLLEMNIA
DOCTORALIA
CANDIDATI DOCTISSIMI
MAVRITII LVDOVICI HVBELII
ADVOCATI DRESDENSIS

qui de vita sua, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis exposuit:

Natus sum Dresdae d. XXIII. Febr. anni huius seculi LIX. patre Ioanne Godofredo, Serenissimo Saxoniae Electori a consiliis Commissionum Camerae, matre Ioanna Rosina, e gente Kalxia, quos parentes vt Deus per vitam longissimam conseruare, prospera valetudine sine vlla offensione beare, omnique humanae felicitatis genere florentes esse iubeat, omni pietate precor. Ab his cum litterarum studiis destinatus essem, primum domesticis praeceptoribus probitate speciatim, inter quos M. EPHR. GOTTL. LOESCHER, nunc Rittergru- nae in Dioecesi Annabergensi sacra faciens, propter singularem pietatem, fidem atque in me docendo industriam, primo loco nominandus est,

sciens. Elegans pacti de non praestanda euictione exemplum est ap-
PLAVTVM in *Persf. IV. 4. 40.*

Frius dico: hanc mancipio nemo tibi dabit; iam scis?

DO. Scio.

est, a primis statim annis commissus, usque artibus, quibus puerilis aetas erudiri solet, imbutus fui. Horum doctrina conformatus, post-tisque litterarum puerilium tirocinii, GOTTLEBERVM, b. CLEMANNVM, MVEËLERVM, SCHREGERVM atque KLIMMIVM, nec non, CLEMANNO communi omnium luctu mortuo, per aliquod tempus TZSCHVKIVM ceterosque Scholae Prouincialis, quae Misenaë floret, doctores artium celeberrimos audire coepi, quorum omnium in me docendo et ad pietatem praeceptis et exemplo conformando exquisitam curam atque diligentiam vehementer laudo. Ibi per quatuor et quod excurrit annos commoratus, ac domesticæ disciplinae GOTTLEBERI, viri spectatae virtutis et haud vulgaris doctrinae, Scholae Afranae Rectoris, cuius in me formando, cupiditatemque litterarum incendendo, tanta fuit diligentia, ut verba desint, quibus grati animi sensus satis declarari demonstrarique possit, conceditur, tandem in Vniuersitatem litterarum Lipsicam me contuli, et Magnifico tunc Academiae Rectore AVG. GVIL. ERNESTIO in numerum ciuium academicorum relatus fui. Hic primum philosophiæ causa audiui SEYDLIZIVM atque PLATNERVM, deinde historiam vniuersalem, Imperii R. G. Statuumque Europaeorum s. BOEHMIO atque WENCKIO didici. In addiscendis principiis iuris naturae, historiae iuris, Institutionum, Pandectarum, iuris germanici, canonici, Saxonici, feudalis, nec non publici, tam vniuersalis quam particularis, processus et artis relatoriae vsus sum praeceptoribus b. ZOLLERO, SCHOTTO, SAMMETIO, KINDIO, EINERTO, BIENERO. Denique in medicina forensi PLAZII atque PLATNERI scholas frequentavi. Quibus omnibus praeceptoribus optimis, maximas ago gratias, cum vberimos ex doctissimis eorum praelectionibus in me fructus redundasse sentiam. Ita finitis atque absolutis studiis academicis ex Vniuersitate Lipsiensis discessurus Praeside Ill. SCHOTTO publice disputavi, superatoque paullo post a me examine, quod pro Candidatura vocant, sollemni Illustris Ordo Ictorum Lipsiens. me prae ceteris et omnino dignum iudicauit, cui facultas causas in foro orandi concedatur. Re-

dux

dux in patriam, venia a Summo Regimine causas in foro agendi impetrata, patrocinia forensia suscepi, quibus nec in posterum deero.

Nunc ad altiora progressurus nos adiit, vtque summi in iure honores ipsi tribuantur, decenter petit. Cui desiderio, postquam ad examen, quod vocant rigorosum, admissus expectationi Collegii nostri per omnia satisfecit, cum deesse haud potuerimus, vt publice etiam de doctrina eius atque eruditione constet, proximo die Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II. l. 10. C. de donat. interpretabitur, deinde autem a. d. V. huius mensis hora IX. eodem loco dissertationem de optione uxori eiusque heredibus in bonis defuncti mariti praesertim ex iure Saxonico competente, proprio Marte conscriptam, publice defendet, quo facto Vir Illustris, Excellentissimus atque Consultissimus, Dominus D. AVG. FRID. SIEGM. GREENIVS, Supremae Curiae Prouincialis et Facultatis Iuridicae Lipsiensis Assessor, Senator huius vrbs amplissimus, fautor, collegaue honoratissimus, cui ex decreto Ordinis nostri promotoris munus delegavi, summos ipsi in iure honores cum omnibus priuilegiis ac iuribus huic dignitati adnexis, sola excepta ad Ordinem nostrum adspirandi spe, tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, CELSISSIMI PRINCIPES, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GENEROSISSIMI NOBILISSIMIque praesentia sua honorifica splendidiorem reddere ne dedignentur, enixissime rogo. Dab. Lipsi. ipfis Calend. Decembr. MDCCLXXXII.




W 78

ULB Halle
005 361 494

3







1782, 22.
579

PROCANCELLARIVS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINARIVS NEC NON
COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

MAVRITII LVDOVICI HÜBELII

ADVOCATI DRESDENSIS

A. D. V. DECEMBER. MDCCLXXXII

PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT

